ADMINICULUM MEMORIÆ, IN USUM TIRONUM

JUXTA SERIEM

LIBRI MEMORIALIS CELLARIANI STILO FACILLIMO EUM IN FINEM ELABORATUM, UT, DUM PRIMITIVA MEMORIÆ MANDARE STUDENT,

SIMUL

EXPONENDO IN ILLIS IPSIS EXERCERI QUEANT,

ITAQUE

VOCABULA MULTO FELICIUS, QUAM SOLIUS OPE MEMORIÆ, INHÆREANT.

EDITIO III.

CURA

M. JOH. GEORGII UNGERI,

RECT. THURNAV.

SPECCIUS.

Quando, quod ſcribo, cunctis non convenit annis;
Tu, Tiro, hoc ſumes. Offero namque tibi.



NORIMBERGÆ ET ALTDORFII,

APUD HÆREDES JOH. DAN. TAUBERI, A. M DCC XXII.

Praxis.

1. Penſum Primitivorum è Cellario jubeat Præceptor prælegi bis vel ter, & corrigat vitia pronunciationis.
2. Idem penſum prælegatur ex hoc Adminiculo. Pari enim paſſu ſemper incedere debent Cellarius & hoc Adminiculum.
3. Ipſe Docens iſtud exponat, aut provectiorum aliquis, térve quatérve. Tum diſcentes domi ſedulò repetent, ut poſterâ die promptè queant reddere, cum ſingulas voces, tùm integrum contextum.
4. Nonnullas breves formulas in modum exercitiorum proponat, ſive ſcriptô ſive oretenùs ex ipſis penſis tractatis elaborandas: ut evitetur commune pueris vitium obiter modò materiam memoriæ mandandi, nec ad cujusvis vocabuli propriam ſignificationem reſpiciendi.
5. Reliquum tempus dabitur analyſi; ac illi quidem haud adeò ſcrupuloſæ, ſed ſaltim generali. Sufficit enim incipienti, præter ſignificationem & derivationem, noſſe tantùm Generalem Vocis Conceptum: Num ſcilicet ſit Nomen, an Verbum, an Particula, Reliqua ex uſu paulatim ſuccedent.
6. Quisquis has ſibi pagellas reddiderit familiares, is ſimul omnia Cellarii Primitiva tenebit: ut ſine mora in libello, cui titulus: Exercitium &c. pergere integrumque Cellarium facillimô negotiô memoriæ mandare queat.

ACer est vulgaris arbor, majoris tamen pretii, quam *abies*: unde divites *abacum*, *acernum* potius sibi comparant, quam simplicem mensulam *abiegnam*. Ita illi reliquam supellectilem pretiosam habent: pauperes è contra ligneam, ferream, & argillaceam; cum nimirum testa fictilis (a) *aque acervum* prunarum contineat, ac *acerra* argentea.

Adamas est durissimus lapis; & quidem gemma. Quare *ab* eo proficiscitur *adagium*: *Adamante* durior: Quia nullâ *acie* cultri vel *acinacis* conciditur, & malleô *ægrè* perfringitur, nec (b) *acu* chalybeâ perforatur vel cælô facile cælatur.

Adminiculo butyri & *adipis* bene sapit omnis cibus etiam *adoreus* panis. Sed inopes sunt contenti, si bolum suum, (cui etiam *acus asperum* admiscent) intingere (mergere) possunt *acri*, *aceto* vel *acerbo* saltem, quod non bene *acet*, & *abdomini* aliquando nocet.

Adulter, *adulatur adulteræ*.

Ægri non prodeunt ex *ædibus* in *aërem*, nec in *adem*. Magna *ærumna* est *ægrotatio*; non minor, *æs alienum*. Quod qui libenter solvit, is laudem *adipiscitur*, pro viro bono habetur, & *æstimatur* fide dignus.

Æmulus aquus est rara avis in terris, alboque simillima corvo. Si tu me *æmularis* (c) recte facien-

A 2 tem

(a) Töpffer-Scherbe/ Thon-Geschirr. (b) und nicht/ auch nicht: noch weder. (c) imitaris.

tem bonus es ; si *æmularis* (d) mihi, malus es & *iniquus*.

Æquor (e) cum *æstuat*, non est *æquor* (f)

Æthiopes non *amiciuntur*, sed incedunt nudi, & torrentur perpetua *æstate* : cùm *æstus* fit intolerabilis, abscondunt se paulisper latebris & speluncis.

Tempus sine fine est *ævum* ; sine initio, *æternitas*.

Agaso agit equos in *agrum* ; sed opilio *ambulat* cum *agnis*.

Agmen militum cum *agemate* rusticorum construunt *aggerem* ad *arcendum* hostem.

Alauda non habet *ahenas* (*aheneas*) vel plumbeas *alas*, ut *ajunt*, sed *alacres*.

Aleatores quandoque lucrantur *alapas*.

Allium alit Apellas ; (g) *alga* porcos ; *alta alnus* fringillas.

Amœnum est & utile, corrivare *amnes*, per *alveos* & canales, ut evitentur navigationum & itinerum *ambages*.

Alvus non fert *algorem*, & frigus.

Alumen illustrat (h) colores.

Amita & matertera sunt æqualiter *amandæ*, si *ambæ* nos non tractant *amarè*, sed *amicè*. Sic patruus, & *avunculus*, atque *avus* uterque.

Amentum pertinet ad jaculum.

Amphora est *amplior*, quàm *ampulla* : utraque præbet mensuram & *amussim* vini potiùs, quam *aquæ*.

An virtus *amuletorum* valeat contra morsum *anguium*, colubrorum, *aspidum*, serpentum, dubium est : nolo *ansam*, ut experiar. *Anates*, *anseres*, ciconiæ,

(d) invides. (e) das Meer. (f) eine Ebene. (g) Juden.
(h) 1. hell machen. 2. berühmt machen.

coniæ, fortè & aliæ *alites*, comedunt viperas absque periculo: uti gallinæ *araneas*. (os.)

Ancillæ angunt heras; At *annus* disjungit eas: quia non ſunt junctæ *annulô* conjugali.

Attende *animum* quibusvis *actionibus*: Nam *angelus* tuus eſt in quovis *angulo*.

Cùm ſe curvat *anus* (i) retro ſibi ſibilat *anus*. (l)

Antra quærunt *apri* & latibula.

Aves ad *apices arborum* volant: *apes* à floribus reduces cellulas ſuas petunt.

Apium ſativum habetur pro petroſelino: quamvis diverſum ſit ab eo. Hedera verò eſt frutex *arboreſcens*, parietibus adhærens, nunquam marceſcens nec in *aprico*, nec à rigido *aquilone*.

Nec *apinæ*, nec *arcana* egent *arbitris*: iſta ob vilitatem; hæc ob dignitatem.

Ancora retinet, *antenna* propellit navem, dum transverſim alligatur malo, velumque carbaſeum expanditur, ut ventum capiat. Axis verò cœli viam monſtrat in mari.

Ara ex lapidibus, *arca* ex *aſſeribus coarctatis*, *arcus* ex utriſque fieri ſolet.

Aquila, *ardea*, corvus, *accipiter*, vultur, & aliæ carnivoræ veſcuntur morticinis. (m)

Arduæ mentes *ardent ardore* diſcendi *artes* ſublimes, ut celebrentur, & nomina ipſorum in *arce* honorum & gloriæ inſcribantur.

Horna meſſis non tradidit quibusdam *areis* & horreis *aridas*, *ariſtas*.

Arma arguunt, hominem, qui cupit deſcendere in *arenam*. (n)

(i) die Alte / das alte Weib. (l) der Hintere. (m) ſcil. carnibus vel animalibus. (n) Kampf-Platz.

Aries, caper, taurus, tuentur cornibus *armos*, & omnes *artus*.

Sive curtum *aſſem* dederis mulieri, ſive *armillam* pro *arrha* matrimonii, captus es utrinque.

Arando fit *arvum* ex *arundineto*.

Aſinus inter *armentum* ſe putat eſſe bovem.

Aſſa caro eſt ſapidior, ſi trajicitur *arvinâ*, (lardô,) ope creacentri (lardarii)

Aſcia cædit ligna: Securis *atrox* colla.

Atri(o) *aſtuti*, *avari*, *avent* & *audent* intrare *atria* & *aulas*, non modo ut *audiant* aliquid, ſed & ut *augeant* res ſuas.

Aſtra regunt hominem, ſed regit *aſtra* Deus.

Auriga habet plus *avenæ*, quam *auri*.

Augures auſcultant aves in *aura* circa *auroram*, ut *augeant aures* aliorum vanô *augurio*, crumenas ſuas *aurô*.

Autumnus auſterus non *autumatur* eſſe *auxilium* frugum; non flante Auſtro, ſed Borea. (p)

Bacca, bacchi bajulabantur baculo ſive perticâ à binis *bajulis*, Num. 13. & pòſt populus *bacchatus* eſt. c. 14.

Bardus barrus & ferè quælibet feræ *beſtia* domantur & cicurantur: *balæna* verò (cetus) & *belluæ* marinæ non æquè. Imò quidquid eſt ex genere piſcium; quippe nec *brachia* habent, nec pedes; quidam nec *branchias*: & vulgò creduntur ſurdi, ſicuti ſunt muti.

Balbi & *blæſi* non *blaterant bellè*; ſemper eadem effutiunt *bis*, terque quaterque: Nihilominus *bilis* movetur illis, ſi nemo *blanditur*, aut *blandè* laudat eos.

Bar-

(o) Kohlſchwartz / böß. Ater homo, ein verruchter Menſch.
(p) bey nicht wehendem ꝛc.

Barbari olim *bellum* gerentes arietabant muros *balliſtâ :* hodiè *bombardis* & tormentis utimur.

In *balneo bibere* ratio vetat ſanitatis.

Barbam radere totam antehac indecorum erat.

Balteus, *bracca*, caligæ ornant viros; togæ, ceſti, criſtæ fœminas; *blatta*, *bombyx*, *byſſus* Reges & Principes. Tandem *buſtum* tegit omnes.

Baſiant procaces, oſculantur pudici.

Bitumen, pix, reſina, thus, ob pinguedinem ſunt minùs tenacia, quàm gluten.

Bractea eſt tenuis, lamina denſior.; ex qua *bulla* turrium, clibani, cataphractæ, & qualiacunque opera. (q)

Braſſica & *beta*, etſi *bis* cocta, *beat* latrantem ſtomachum eorum, quos *buris* fatigat. Delicatiores reſpuunt cramben foculo redditam, (r, aut batillo

Sub cerea (s) *buxo* ſæpè latet teter *bufo ;* vix verò *brutus bubo.*

Bruma conſtituit *brevem* diem : Solſtitium, longum: æquinoctium, medium (mediocrem.)

Optat ephippia *bos* piger, optat arare *caballus.*

Noli conſcendere *cacumen*, ne *cadas* & *cias*, (*cieas*, excites) *cachinnum ;* aut diffringas crura, vel lædas *cerebrum* aut oculum & evadas *cacus*, permaneasque *calebs* & vivas in perpetua *caligine* tenebrarum, quà *calamitate* nulla eſt major.

Caduceator peragit *certas caremonias*, quibus pacem firmat, & fœdera pangit cùm gentibus extraneis.

(q) ſcil. fieri poſſunt. (r) quæ reddita eſt, vel fuit. (s) cerei coloris.

Cæruleus & *cæsius color* est *cognatus* viridi; sicut candidus flavo, glauco & gilvo.

Qui meliùs *callet castu*, quàm *calamô*, sequatur *castra*: ibi plus satis *calescet*, cùm locô *calicis* tormenta pulvere pyriô & igne infundentur.

Procedas *calle* virtutis & industriæ, usque dum fias *canus* & *calvus*, nec *causare* difficultatem operis vel imbecillitatem *corporis*, licet *calcem* manumque *callus* obducat. Sic *carebis* ignominia & *calumniis*; nec erit metuendum, ne *canistrum* tibi tam procul suspendatur, ut fame affligaris.

Canis investigat in *campo* lepores & *cervos*, non *camelos*, nec *cancros*.

Cameræ Magnatum (Magnorum, Amplorum) vestiuntur *canna*, quam gypsô obducunt in decorem.

Campanarum organa *canunt canorè* & suavissimè, si *concentu* accuratô instructa. (t)

In *casa* invenies pauciores *cistas* & *capsas*, ac in Regia.

Sine *capulo* omne instrumentum est ineptum.

Carduum libentiùs aspiceret *captivus*, quam *carceris clausi cardinem*.

Carminum præmia sæpe sunt *carbones* (u) quandoque etiam *carnifex*; si nempe *carpunt* & mordent opprobriis potentes.

Navis præcipuæ partes sunt prora, puppis, *carina* non *cariosa*.

Carpenta & pilenta loris suspensa commodiora sunt, quam *carri* (*cisia*) *catenis* constricti.

Pulpa

(t) scil. sunt. (u) i. e. nihil, præmium imaginarium.

Pulpa in *catino* (pâtina) *carior* est *cartilaginibus*.

Caseus & panis sunt optima fercula sanis.

Cassibus(plagis) venatores irretiunt feras : *Cassidibus* præliantes tuentur *cranium*.

Casti, *castrant* & *cagistant* libidinem suam : ne *incassum* orent. Impuri enim ad DEUM appropinquare non queunt, sed *catervatim* detrunduntur in barathrum infernum. *Cave*, ne *cavilleris* aut derideas sanctam vitam , ne perdas beatam.

Cauda trunci dicitur *caudex*.

Nota est mihi *cautes*, *cava*, quæ instar *cellæ* est, & alia, quæ pro *caula* est.

In *cespite* & *carice* varii simul procrescunt *caules* fruticum & herbarum.

Caulâ potiùs, quàm aula digni sunt *caupones*, quorum *creta* est crenata.

Cedo! quid *censes* de his , qui se *cervice* supinant, & *certant* plenis cyathis , urceis , *cantharis* haurire *cerevisiam?* Næ isti strenuè *cladem* (stragem) edunt valetudinis & virium , parantque sibi *cippum*, in quo legi oportet epitaphium illud: Propter est, est, Dominus meus mortuus est. Quidnam videtur tibi de iis , qui depugnant lanceis, hastis, jaculis, telis, missilibus; gladiô, pugione, ense , sicâ , sarissâ , vaginâ vacuis ; clypeo, *cetrâ*, parma ? Differunt â prioribus , ut porrum â *cepa*. Nam utrique sæpe vitam misere profundunt.

Cedrus celsa, *celebris* , *clara*, in regionibus versus Orientem longè *antecedit* nostram quercum, ili-

 cem

cem, & robur, pinum & tædam, quin *corylum* & *cerasum.* Nam lignum & *cortex* non sentiunt *cariem.* Quibus rebus apponuntur, eæ præservantur diutissimè à vermibus & putredine. Unde succus *cedrinus* libris olim illinebatur.

Cerdones alutarii *ceterique coriarii celeriter* materiam suppeditabunt, sutoribus, pellionibus & ephippiariis pro decies *centenis* millibus cudonum, *culeorum*, *calceorum*, ocrearum, *crepidarum*, manticarum, fundarum, thecarum, &c.

Cernitur cicatrix & ruga, etiamsi *celatur cerussa.*

Chartæ lusoriæ sunt quotidianus *cibus* & potus ganeonum, qui & lascivis *choris*, *chordarumque clangoribus* delectantur.

Cicada (locusta) depascitur *ciceris*, pisi, ervi, viciæ lentis, & cujusque leguminis herbam: *ceu* eruca olus & lactucas.

Cilium cingit pupillam; *cinnus* & *coma* comta frontem.

A cinere & favilla stillat lix, mundans (purgans) sordes linteorum.

Nil tam *clandestinum* est, quin tandem *proclametur* à vulgo.

Clavâ venatoris tunditur ursus; *clavâ* trudunt ludentes globulum; *clavâ cædit* lanio pecudes, vel potius boves. *Clavi* (*clave*) referamus, quæ clausa sunt. *Clavô* figimus trabes, dirigimus *classes.* *Clathrô* munimus *conclavium* foramina.

Inclutus Advocatus non metuit *inclementem* & *clau-*

claudicantem, h. e corruptum Judicem, sed reddit eum *clienti proclivem*.

Cloacæ per *declivia* ferunt *cœnum*, lutum, & quæ à *clunibus* (natibus) dejiciuntur.

Cœtus & pia *cohors colentium* Deum *cogitur* & quasi *coagmentatur* in templo tanquam *colle* sacro Sionis ad usum *cœnæ* & *concionem* verbi divini.

Cochlea, apes & *formicæ* cogitant de hieme, cum *cœptant* vel se recondere, vel condere ea, quibus *fruantur*.

Coccus (um) granum est: non *coni*, nec in quibusvis *compitis* obvium, sed graminis cujusdam rubentis ignoti terris nostris.

Columbaria solent imponi *columinibus* fermè imitantibus formam & figuram *coli*, (us) si modo & (x) *coma* lini obvolverentur.

Fœdi & tetri *comissatores* non sunt mentis *compotes*, modò (y) *comes*, modò truces ac tétrici: multa *conantur* & moliuntur insanè, postquam *congiis* exhaustis se ingurgitaverunt. *Crabrones* malim irritare, quam ejusmodi hominem perpetuâ *crapulâ* obrutum. O! quàm pessimé isti sibi *consulunt* ipsis!

Contus (z) *contatur* gurgites: terret equites.

Cor est primum vivens, ultimum moriens. Pulmo respirat, & anhelat. Hepar (jecur) sanguinem digerit. Cunctorum sedes est in pectore & ventre. Singulis est proprium munus, & indissolubilis

(x) auch. (y) bald/ jetzt. (z) 1.] Stör-Stange. 2.] Pique.

bilis *copula.* (nexùs) Stomachus audit (aa) membrorum *coquus :* quem nimiâ *copiâ* onerare non decet. Nam non eſt *corbis* aut *cortina*, cui omnia ingeri poſſunt.

Undæ ad *crepidinem crepitant*, & à ſolis fulgore *coruſcant.*

Cothurnò gradientes *crebrò* luxaverunt *coxam* (femur) aut fregerunt *coſtam.*

Creator edidit multa miracula *coram* Judæis. *Coturnicibus* in deſerto; *cremore* farris, lactis, mellis, in peculio ſatiavit eos. *Cremavit* (exuſſit) urbes hoſtium, expulitque cives veteres, ut ipſi degerent in tuto.

Heri, hodiè, *cras :* nuper, modó, mox : manè, interdiu, ſerò.

Coticulâ non defricamus *cuticulam*, ſed panniculô.

Crates & *cibra* plectuntur decuſſatim ſeu *crucis* in modum.

Cupiens molliter *cubare* indit caput *cucullioni*, & *craſſæ culcitræ incumbit.*

Cruſta panis & *crocus* injecta lymphæ *cruditatem* leniunt & ſitim finiunt.

In venis ſanguis, *cruor* eſt de corpore fuſus.

Crines (capillos) *criſpare crimen* non eſt.

Cudendum eſt, dum calet fornax.

Cucumeres, *cucurbitas*, pepones parvi pendunt *heluones.*

Culices non *cunctantur* in *culina.* *Cur?* ob fumum & fuliginem.

Cuna

(aa) heiſſet/ wird genennet.

Cunæ ſternuntur ſtramine de induſtria ut placide quieſcant infantes : ***cupæ*** verò cereviſiariæ interdum contuſis baccis & frontibus juniperi; neſcio, an etiam ***cumulus culmorum cumini prodeſſet.***

Cuneus & ***cuniculus*** ſunt vocabula æquivoca.

A culpa & reatu abſolvit quidem ***curia*** ſed non liberat.

Noctivagi ***currunt curriculô*** ad domicilia & diverticula, ***cùm cuſpides cuſtodum*** & lictorum eos inſectantur.

Dama infert ***damnum*** frugibus; tùm exſilit in præruptiſſimas rupes & petras.

Dapes debent dari debilibus, dentientibus & ***edentulis :*** ne prorſus ***deleatur*** appetentia cibi. ***Depſere denique*** maſſulam ad tollendum ***dextrè dentium dolorem deterrimum*** convenit.

Fana & ***Delubra***, item lararia, inter Ethnicos ***dicata*** erant etiam ***delphinibus*** (nis.)

De Deo dicitur dextra manus & ***digitus***, (Sp. S.) qui ***dignus*** eſt, ut ***diribeatur*** & donetur, non ***diris***, & ***ditioni*** Satanæ ***deditis***, ſed ***doctrinæ***, & gratiæ ***divinæ*** cupidis.

Ratio decori poſtulat, ut ſtanneos ***diſcos*** apponamus convivis.

Vietor ***dolat*** aſſulas, & accurate dividit eas ***donec*** compingi poſſint in ***dolium.***

Dormientes in ***dorſô***, cumprimis ***ebrii***, varia ſomniant: jucunda, triſtia; gravia, levia; tædioſa, ſuavia : modò (bb) ***draco*** terret eos, modò in ***dumum*** vel de præcipitio delabi ſibi videntur; modò nuptias

(bb) baib.

ptias contrahere & larga *dote*, novisque gaudere *indumentis* & sexcentis aliis.

En! (*ecce*) quò *elegantius* est præ aliis ossibus *ebur elephanti*. (is:)eò cariùs *emitur*.

Erga elementarium noli commoveri ira; nec verbera, si *erret*, ne *ejulet*; da potiùs aliquid *epularum*, vel *escæ*: solâ *fabâ* eum *inescabis*; hilari *facie* ad promptitudinem & obsequium invitabis; *facetâ fabulâ* stimulabis; ut *faciat* quæcunque jubes; modò ipse sis *affabilis*. *Exigua* movent parvos. *Exemplum* tute sis, quales illos esse desideras.

Mi *frater!* Certiorem te *facio*, quòd *faber fefellerit fidem* (cc) causatus, (dd) *fagum*, è qua *fabricari* debebat essedum, ictam & percussam esse fulmine. Næ is *facundus* mendaciorum *faber* est: dolendum, quòd non est *Extispex*. *Examinavi famulum* meum & tironem istius, qui *falsa* omnia esse narrant. Inde *affatus* sum ejus vicinum & *affinem*. *Fama* est, esse (virum) melioris notæ. Verùm non vult *falcem* immittere in alienam messem. Est tertius, quem ajunt apprimè in *effarciendo* gnarum esse: sed *fastum* ingentem agitat, & haud scio, num de pretio conveniamus; taceò, quòd *febricitet*. Quid velis, præcipe. Ego non *defetiscar*, gratiam & *favorem* tuum promereri. Vale

Fas haud est, sed *fatuum*, *infantes* in *fascia ferire fasce ferularum*. *Fervet felle infelix*, (ee) qui pro dulci *favo* ad plagas *festinat*.

Fasti

(cc) seine Zusage nicht halten. (dd) vorwendend. (ee) miser, stolidus.

Fasti signant *festos*, & *profestos* dies : imò & *faustos* ac *infaustos*. Sed *fateor*, insigniter *fascinatos* esse, qui *fata* temporibus attribuunt.

Fugit me, quid sint scintillæ ex *felium* pellibus resilientes, & *fax* illa noctu apparens, quæ *fatuus* ignis appellatur.

Ignavo semper sunt *feriæ* : *favonius* eum *facile* allicit, ut deambulet aut *fenestra*, ut appropinquet ac otiosè prospiciat.

Cum *defigimus* grandes palos, *fistuca* opus est Cum *fila*, lacinias, *fimbrias* & *fissilia* stringimus, *festucæ*, & *flocci* vel stupa remanent, quæ in *fimum* vel *flammam* mittimus, ut *conflagrent*.

Fibræ sunt radicum in arboribus & herbis *filamenta*, seu minuta capillamenta. *Fibulæ* sunt ornamenta, verbi gratia, cinguli, ad vestem subligandam, &c. Sunt item *ferramenta*, quibus tigni conjunguntur in ædificiis.

Filioli tenelli *flagitant* sæpè â lenibus &indulgentibus matribus patribusque *ficus*, *fistulas*, *fides*, aliquid è *fisco* & *fidelia*, & quo citius *flectant*, *fletum* inchoant, & lacrymantur (nt) ac lamentantur.

In *fece* mundus est, *fidamus* nemini, nisi Numini.

Fœcunda prata rident mille *floribus*, sed quamdiu? usque dum horridô ventorum *flatu flaccescant*, aut rapidô torrentium *fluctu* oblimentur ; aut uncâ *fœnisecis* (*cæ*) seculâ exsecentur (demetantur.)

Fœnoris bonus est odor, non *fœtor*, hôc seculô, ex re qualibet ; vel ex stercore & scelere si *foret*.

Fons & *follis* multorum malorum sunt opes, quæ undique solicité *effodiuntur*, & conquiruntur

foris

foris ac domi. Hinc *ferè* tempora noſtra ſunt *effœta* & ſterilia proborum atque piorum hominum.

Forſice ſartores, tonſores *forpice* gaudent:
At *faber* ignitum *forcipe* prenſat opus.

Fortes non *formidant* pericula, *freti* virtute ſuâ: *fremunt* tamen & *frendent*, ſi in *foveam* delabuntur *fraude* illecti.
Sub *fornicibus frequentiùs* conveniunt *fornicatores*, quàm in publico *foro*. vel ubi *ſuffragia*, *feruntur* de *frivolis* nebulonibus puniendis.
Frena libidinem manducandi *fraga* & *fungos frixos*: namque non *fovent* ventriculum.
Frameæ non advehuntur per *freta*. (ff)
Fruſtra moliris *fucô* verborum, tanquam *friabili fundamentô*, te *fulcire* & *facinoris* veniam quærere, ſi res ipſa *confutat*.
O miſeros! quorum *furnus furfure* repletur, cujus *fruſtô* ego non *fruerer*. Sed miſeriores! & *fuſte*, *fune*, ac *furcâ* dignos, qui *furtivâ farinâ fungi* volunt officiô piſtorum.
Furvus nigro ſimilis, *fulvus* & gilvus flavo, luridus pallenti, lividus obſcuro, glaucus cæruleo,
Fuſi peritæ *futiles* audiunt vulgò & *garrula*; quæ ſcilicet *gerris gaudent*. Sed mitiùs de pleriſque judicabimus, ſi cogitemus (perpendamus) quôd nec unusquisque mas *galeam* mereatur, & inter

(ff) ſive maria, i. e. è locis longè diſſitis, aut terris peregrinis.

ter ipſos offendantur lubrici, loquaces, *gracantes* &c. quorum opprobrium *geminum* eſt.

Ob *grandines* & *gelu*, quod *germina glacie* operit & adurit, *gemunt* quadrupedia cum bipedibus.

Nata venuſtæ *gena* non deſpondetur *genero gibbero* ſi vel *genu* ponat. (gg)

Gens gentem gignit generando prolem ſobolemque.

Dentes magis horrori, quam ornamento eſſent, ſi gingivis mollibus & labiorum tegùminibus carerent.

Cùm *glande gliſcunt* ſues, mactantur in macello, & *glabrantur*, priuſquam *deglubuntur*. Macrum (macilentum) pecus non eſt veſcum.

Gleba cum *glarea* in *glomum* (*erem*) compacta poteſt *gracilem glirem*, quid ni *graculum*? ictu trucidare.

A *gluma* non *glociunt* oviparæ, ſed ſi *gluttus grana glutiat*.

Grumi quos talpæ & *grunnientium greges* roſtrô cumulant, cum moleſtia rurſum complanantur.

Gutture ſpiritum reciprocamus: *gula* damnus, quæ *guſtamus*.

Grues, ſicuti pleræque avium ſpecies, *congruunt* ſponte.

Hæres non fies, antequam parentes in gremio telluris *habitant*.

Hædus & *hircus hiulcas* ungulas habent ut ſues ſed *haud* ad *haram* pertinent: *hinnientibus* interdum

(gg) quamvis ſupplex oret.

terdum sociantur ad præsepe; licet non ut equi, *gubernentur habenis.*

Hamus gobios & fundulos inescat. Ubi piscator *haleces hariolatur*, & verriculum jacit, sæpe ne *hilum* capit.

Minori periculô tanges *hispidum* erinaceum, quàm *hirsutum* ursum

Hirundo lacubus aut lacunis involans, non capit *hirudines*, sed muscas & culices.

Funambulum & *histrionem* ne unâ quidem *horâ* venerabor, etsi *humeros* prompté cum poplitibus jungat.

Hordeum hornotinum in *horreum* invehere multis *horror* fuit.

Humida humô non *hortamur hospites*, ut veniant in *hortum.*

Hostias victimasque non immolant aut litant Christiani.

Jacuit ad *januam* opulenti impii inops *jejunus exiles* micas *jentaculi*, prandii vel merendæ petens. Verùm exemplô inimitabili dimittebatur *inanis: immanitate* ac truculentiâ *ingenti* & plus quàm caninâ.

Præteritis Nonis (5) & *idibus* (13) Septembris lapsus est tantus *imber*, ut *imbrices*, orbitæ, vici, tramites, & semitæ fluerent, ut rivi.

Canis sagax *idoneæ indolis indagat imam* silvam; nec *indulget inducias* feris, usque dum redigat ad *incitas.*

Imago divina in Paradiso erat *inchoata*; nihilominus, *inquam*, *justitia* hominis erat *integra* & perfecta. Et, si in statu innocentiæ mansisset, nec

nec *coinquinasset* se peccatô (non *invitus*, sed voluntariè) bene mactatus (hh) esset sanctitate & in ea in perpetuum stabilitus.

Nisi *insulam* verearis; in *insulam* desertam relegaris.

Uti vetatur *interpreti*, uti dolô; *ita jocô*.

Iris irritati & placati numinis monumentum est. *Jubilant* Noachitæ (ii) super ejus *jubare*, tanquam pignore pacis & *jugi* testimonio promissi *jucundissimi*, quod *jugera* terræ non amplius in posterum diluviô sint inundanda

Juscula juvant juvenes juxta & senes.

Qui levis *junci* ergò, tanquam ob rem nauci, *jurgantur*, ac nodum in lævi scirpo quærunt, eos ad *jusjurandum jus* non admittit, ne *pejerent*.

Qui *labascit*, *laborat lacertis*, ne *labatur* & *lambat* pulverem; aut *laceret*; (*laniet*) *labra* (*labia*.)

Sub *larva lætitiæ* multoties delitescit profundus mœror.

Centum pondo *lanæ* vel plumarum non habent plus minúsve ponderis, quàm totidem pondera plumbi, vel alius metalli: id quod patet, (manifestum est) si appendis in *læva lance libræ levia*; in altera gravia.

Non *languidis*, non *lassis* & *lecto* affixis *legantur* præmia & *laurea* sed strenuis & ad *laternam* (*lucernam*) *lucubrantibus*.

Voluptates sunt *laquei*, *latè*, *laxèque* positi; qui omnes *illaqueant*; quibus conscientia non

(hh) vermehret. (ii) Noachi posteri: omnes homines.

oblatrat. *Laterem lavat*, qui molitur eos expedire.

Látere tectô *latère leo* non ſuevit, ut *lepores* timidi.

Lenones devoti ſunto ad *lepram*, porriginem, pediculos & *lendes*, ut exulent in perpetuum conſortiô hominum.

In *lento leſſu* parùm eſt *lepóris*.

Lex, *leti* eſt immutabilis.

Liguritoris lingua libenter lingit liba & *limpida* vina, nec (ſci) ſcitatur, quanti *liceant* numvè *lieni*, (ſpleni) nóceant. Cùm culinam intrat, corradit in *limbum*, quicquid os non dévorat, ac ſurripit ſe properè foràs extra *limen*, & *limites* domus, *limibusque* oculis circumſpicit, annon immineant tergò *ligones* & ſtipites, (ſudes) quos ſentire tam ſuave non eſt, quam *lilii* & violæ odorem percipere.

Lira eſt quaſi *linea* transverſim ducta per omnes ſulcos & *collineans* in vallem.

Limâ utitur ferarius.

Lolium ſeparabis priùs à ſiligine & tritico, quàm *lites* diſterminabis *literatorum*, ut *liqueat*, quis allucinetur aut cui lux veritatis illuceſcat. *Relinquamus* ergò ipſis ſcrupuloſas opiniones: quarum ſcrutationibus *lippitudinem* promovere non eſt operæ pretium. *Littori* ſemina mandat, qui hîc *luctatur*.

Creſcens & decreſcens *lumen lunæ* efformat *lituum*.

Lucus eſt *luſciniarum*, omniumque volucrum oſcinum commodus *locus*.

Lues

Lues morbi peſtilentis *lumbos* enervat, pavorem & *luctum* domibus importat & urbibus.
Quod *lupus* peccat, oves, dependunt.
Hannibal *luſcus* erat, ſed *lynceo lumine luſtrabat* omnia, quæ poſſunt *luxum* frangere & potentiam Romanorum.
Maceries ſtruitur absque *machina.*
Macula abſtergenda eſt, dum *madet.*
Magiſter emendat prava, quædam in *margine* notat.
Magus provocat *manes* ex orco & ſepulcro.
Mala palpebris vicina.
Amazonum genus erat alterâ *mammâ mancum* & *mutilum.*
Mannulus eſt *majoris* molis, quam emolumenti, niſi ad pompam, aut delectationem.
E ſcaturigine *manat* rivulus, qui undis ſenſim auctus tandem evolvitur in *mare.*
Marmor nec gemma, nec vulgaris lapis eſt.
Menſa ſternuntur & *mappis* & tapetibus.
Matulam ad urinam reddendam ponimus non in ſtabulo, ſed in dormitorium.
Urit maturè, quod vult urtica *manere.*
Maxilla & *mentum* moventur, cum eſt edendum.
Medulla tabeſcenti *medeberis* lente.
Mendici non ſunt *memores meritorum*, ſed *meditantur* modò, ut inopiam ſuam pellant.
Merces datur *mercenariis* in diem & *menſem.*
Mercatorum merx mera pretioſior eſt, quam *mixta.*
Ubi *milites migrantes* in *dimicationem metantur* caſtra, ibi non *metuntur* fruges, ſed maxima

messis malorum. Sæpe colono ne *mica* quidem panis relinquitur, ubi *mucrones minantur mortem*, ni siliginem, triticum, avenam, *milium*, & omne obsonium tradat.

Milvius & vultur sunt *miri ministri* pullorum.

De *minio* consule *medicos* & Physicos.

Mœror non consistit in *momento*, sed in *morâ*.

Moneta monet de eo, cui est potestas *mulctam* exigendi & tributum.

Morus in *monte minùs*, quàm in planitie plantatur.

Morum est saporis præcipui & quasi *murice* tinctum.

Licet *mulum*, (stultum, stolidum, stupidum, contumacem &c.) in *mortario* contundas: tamen non *emulgebis mustum*, quô *mulceas* palatum.

Mucum emunge, *mucorem* absterge, pituitam screandô excute, vel leni tussiculâ; salivam & sputum sine strepitu exspue. Sternutamentum nec provoca, nec inhibe.

Murmure magis protelabis *mures*, quàm *mugitu*.

Musco non opus est, cum urbes mœnibus sunt muniendæ.

Mutuum repende. Non enim potes sine *nequitiâ* detinere.

Myrtus fert *myrtillos*.

Qui *nanciscitur novercam*, optat ejus videre necem & audire *nænias*.

Nævos tuos *ne nega*, sed corrige.

Napus & rapa rancida *nauseam* conciunt.

Nasutis nares sunt mungendæ, ne *mucculentam* suam prudentiam (sapientiam) cum tædio subinde promant, ac tædiose deblaterent.

Nebu-

Nebula circa ***nemora*** ſurſum ſublata ciet ***nimbum neceſſariò***, aut ***nivem.***

A ***nido*** poteſt eſſe ***nidor***, (aſſæ volucris) & ***nitor*** pennarum.)

Sæpe fit, ut ***nepotes***, crebrò ***nepotantes***, tanquam ſanæ mentis non compotes, conſumant parta patrimonia avorum perſimoniâ.

Nitimur in vetitum; &, ſi nobis ***connivetur***, ruimus adeò, ut ***enatare*** non queamus.

Nobilis norma eſt Sc. S quæ ***enodat*** controverſias, & diſcutit nubes ***ignorantiæ*** ac pravitatis.

Ex ter tribus, aut quatuor & quinque reſultant ***novem***; è ſex & duobus octo.

Inter ***novam nuptam*** & maritum, ſicut inter ***nurum*** & ſocrum oriuntur ***ſæpenumerò nugæ***, rixæ, ac tricæ de ***nucis*** putamine. (ll)

In ***nundinis*** ſpiſſe ***numerantur*** & ***nuncupantur nummi***: imò etiam ***nuntiatur***, quòd mercatores illis ſpolientur.

Obſtetrix & ***nutrix*** quam neceſſariò deſiderantur, tàm ſtatim utramque ***obliviſcimur***, & tandem ***adulti*** vilipendimus.

Obliquum nil eſt, niſi cum alio ***obliquo.***

Occa inoccat & ***occulit*** ſemina.

Obſtinatum quis non ***oderit?***

Si ***offam opimam*** appetimus, temperemus ***oleô***, in ***olla***, patina aut quadra.

Opinio eſt, ***olores*** (cygnos) ***ominari*** ſibi obitum, & ***ovare***, dum in ***opaco*** ſtagno, aut circa ***oſtia*** fluminum ſonum ***ordiuntur***, quaſi cantum.

In ***oppidis*** ſunt varii ***ordines.***

(ll) i. e. de re nihili.

Otioso non debetur *ostrea*, nec *ostrum*.

Palea non abjicitur *propalam* à *paganis*, sed assumitur inter *pabula*, ad *pascendum* non ad saginandum vel pinguefaciendum.

Palatia procerum *pador* putorque non decet: perpurgantor, seu pala, seu panniculo, seu quovis instrumento.

Panula purpurea sordidumque *pallíolum* non sunt ejusdem *panni*; distinguamus proinde *paludamentum* à tunica rurali

Palma, arbor procera, fert dactylos. Sed & manus tua vocatur *palma*, cum digitos & volam explicas: si verò contrahis, pugnus est. *Petulantes* & *palantes* pueros *depalmamus* interdum & depectimus, pusiones autem amabiles *palpamus*.

Palumbes parcit papaveri, quod *papilio depascit*.

Papyrus bibula vel emporica medetur *papula*.

Passeris & turturis *passus* non est *passus*.**

Pateris libamus sapida, *pelvi* lavamus squalida.

Qui *patravit* scelus, *paveat*, & *paviat* præ *pavore* donec *patiatur* supplicium *pendens*.

Penes quem est *plenus* (a, um,) *penus*, ad eum tardè *penetrat penuria*.

Is consectatur *pernices* & *præpetes perdices* sedulitate *perpete*, cui *picus* & *pica* sordent. (mm)

Petasus contegit paululùm a sole & pluvia.

Pestis pessundat quos vis, nec ullô *pessulo*, obice aut porta excluditur.

Pilus fit materia *pilei*. *Pila* est sphærula; item fulcrum;

* Schritt. ** weit. (mm) i. e. viles habentur,

crum. *Pilum* eſt *bipennis*, quaſi duabus *pinnis* fabricata. (*pinnata*.)

Pirus fert *pira*, non *piper*.

Si *plauſtrum plenum placentis plebi* diſtribueres, quos *plauſus* excitares! Sed & quos *planctus*! ſi puellis nil dares, quibus magis *placent*, quàm *plagula papyri*. Annon *plorando plicabunt* vultum? quem vix rurſum *polient*, niſi *poma*, dederis aut alia munuſcula.

Libros non *ponimus pone pluteum*, ſed in eo; quosdam etiam in *pulpito*.

Si hordeum *politur* in molendino, fit ptiſana: Si contunditur *polenta*.

Pollex nominatur à verbo; *polleo*; quia *plus pollet*, quàm cęteri digiti.

Ethnici *populi* venerabantur ſuos Flamines & *Popas* flexis *poplitibus*: quò magis *Papas* vel *Pontifices*. (Sic dictos, quod ſublicium *pontem* Romæ dirutum ſæpe reſtituebant.) Quia verò ſuperfluas carnes victimarum *popa* vendebat, hinc ejus macellum nuncupatum eſt *popina*.

Qui in *portu* navigat, *poſteaquàm procellam* evaſit, & qui ex itinere redux *portam* attingit vel *poſtem*, uterque lætus eſt.

Ne *poſtula* importunè, ſed *pete* modeſtè, quæ *poſcere* & urgere *potes* jure.

Nobilis ille, cujus hoc *prædium* eſt, à *pravis prædonibus* expilatus, *pretioſis* omnibus *privatus* & ferè ad paupertatem redactus eſt: *præſertim* quia nunc creditores & *prædes* concurrunt ad *prætorem* & urgent ſolutionem, ac jam per *præconem* aliqua *prata* & agri ſunt proclamata, ut, *præter* domicilium, ipſi ferè nihil relinquatur.

Prece prehende Deum, quoties crux, tanquam durum *prelum*, te *premit*.

Circumcide *praputium* non corporis, sed cordis: iste enim ritus non consistit in externis *prastigiis*, sed significat internam *pœnitentiam*.

Procus prudens prope prodigium est.

Salvator oriundus est è *prosapia* sanctorum *Patrum*.

Ad carmina & versus erat Ovidius *pronior*, quàm ad *prosam*; licet ei essent *improspera*.

Pruina reddit *prunos* flaccidas; sed *prunum* inde mitescit æquè ac à *pruna*.

Pudeat pubem vegetam, *pulvinaribus* in serum diem incubare.

Si tibi cutis *prurit*, ineas *pugnam* cum aliquo, qui tibi fuste tergum inungat, si nemo est, qui *pumice* radat.

Pulex est *pulchrum* animal, cujus omnes *pulli* sunt *pulli* & *pungunt pulpam*.

Pultes alunt *pupam* & *pusionem*; *pusillum pumilonem* verò *pulmenta*.

Pus est *putris* sanguis in vulneribus; quæ *putent* nisi crebrò *purificantur* à sanie.

In *puteis* non est aqua *pura* & *puta*.

A. *Qualis* corbis *quaso*, est *qualus*? B. Plexa ex viminibus. A. *Quanta*? B. Tanta, ut *queat* commodè usurpari. A. *Quot* vel *quotuplices* sunt corbes? B. *Aliquot* genera sunt, ut: corbis pabulatoria (dorsuaria) cophinus, calathus, fiscus, sporta, *quasillus*, fiscina, fiscella, (um,) sportula. A. *Quando quimus quatere quercum*? B. *Quarto* mense à solstitio. A. Eheu! B. *Quid quereris*? A. *Quod* jam *quinque* diebus *quietem* non vidi. B. Effer has *quisquilias*, tùm esto *requies*.

Rabu-

Rabula non est *raucus*, sed molestè sonorus, ut *rana*: crederes, esse *rabidum*.

Vitis est frutex nobilissimus, non ad paludes, sed ad palos in *regionibus* ferre torridis *e radice* celeriter *surgens*, multos *ramos* agens, (emittens qui vocantur palmites. *Palmes* habet *racemum* & *pampinum*: *racemus* uvam (botrum) h. e. omnes baccas, in quibus succus & acini; è succo fit vinum, quod *recens* austerum est, quamlibet *radiis* solaribus recte excoctum: cum tempore tamen mitigatur. Nonnunquam fit *rancidum*, sive vapidum; (cujus vapor generosus evaporavit) quandoque sulphuris ope servatur ejus virtus. Vinitor vineta sarrit sarculo, & sarmenta rescindit.

Multis, qui *rheda* vehebantur, & *redimiculo redimiebantur*, *res repentè* rediit ad *rastros*, vel ad *restim*.

Reduviam rapum non sanat.

Ratis est strues lignorum; valet etiam pro navi,

Remiges per transtra sedentes propellunt lintrem, scapham, lembum, phaselum, ope *remorum*, quos scalmi tenent. Per foros hinc inde meatur. Ora est suprà, infrà, sentina, quæ saburrâ (sabulô) oneratur, & in quam influit, quidquid instillat aquarum; hæque corruptæ (non fragrant, ut *rosa*, sed) malè olent.

Religionem ridere irreligiosum est. In *Romana* Ecclesia *rogi reus* habetur, qui temnit ea, quæ sanxit olim Clerus. Hoc prætextu etiam multi cremati sunt insontes: nec eis profuit, sive *rogarent*, sive *ringerent*, sive *rationes* afferrent, quare sic

rati

rati fuerint, ſive negarent denique, modò ſi *rumor* contra eos teſtaretur.

Ros non *rigat* ſatis terram *rimis* hiſcentem.

Dum canis os *rodit*, ſocium, quem diligit, odit.

Rufa, ſeu *rutila* juba eſt *rugientium*, non *rudentium*, uti tu, omnium *rudis*, *rebaris*, qui nuper uniroto pabone *rudera* volebas devehere.

Ructus non eſt vitium *ruminis*, ſed ventriculi.

Ruta dicitur *averruncare* lippitudinem.

Sagati ſunt *ſævi* & *ſalaces* ac amant non modò *ſagittas*, ſed etiam *ſagarum* artes, contra ſauciationem.

Salum ubique eſt *ſalſum*, alicubi *ſalebroſum*.

Salicis ſalus eſt uvida tellus: ſuper *ſaxo* ejus ſurculus non vegetatur.

Sannio & *ſcurra* inter *ſatellites* non recipitur, etſi in aulis quandóque toleratur.

Scapulam & latera crebro *ſcabentes ſcabiem* produnt, juxta quos in eodem *ſcamno* nemo lubens ſedet.

Scholæ ſunt *ſcalæ*, quibus *ſcanditur* ad eruditionem.

Scalptores & *ſculptores* affines ſunt artibus.

Rude donati ſenes cum *ſcipione* repere eidemque inniti ſolent.

Scopæ verrunt *ſcobes* in *ſcrobem*. Cui *ſcopo?* ut veneant, vel ut computreſcant, ut ſtupa.

Scortum & ſtuprum, & quæcunque obſcena, niſi cum pudore, ne nomina. Si *ſecus*: Dei timor, tanquam *ſcutum*, te non teget, ſed ipſius te *ſcutica* cedit.

Seditio magnòrum malorum *ſeges* eſt: ergo *ſegnis* nemo ſit ad eam *ſedandam*, & *ſepeliendam* penitus, ne *ſemiſopita* reſurgat.

Sen-

Sentis ſerie ſatus, poſtquam latè *ſerpſit*, commodè nectitur in *ſepimentum*.

In *ſermone ſerium* eſſe decet, ac *ſereno* vultu; non *ſeverum*.

Serum & *ſebum* tractans ne induaris *ſericô*.

Quidam ex utróque *ſexu* multum *ſibilum ſibilant*: imò *ſerram* contentionis nonnunquam reciprocant de *ſeta ſuilla*, *ſicco ſilice*, vel caſſa *ſiliqua*: nec *conſiderant*, quòd de re nauci *ſilendum* ſit potiùs, quàm ſeſquipedalibus verbis detonandum.

Simila eſt *ſincera ſine* furfure.

Simiæ ſunt *ſimæ*.

Deſine quæri, & *ſiſte ſingultus*, quamvis *ſiniſtrô* fatô uteris. *Solare* te, quòd nec in *ſolio ſolida* ſemper ſit felicitas. Citiùs, quam *ſperas*, *diſſipabitur* adverſitas.

Sobrietas eſt magnum vectigal, cui ſæpe adverſatur *ſodalitas*.

Soccus eſt ſcenicum, *ſolea* domeſticum indumentum.

Vide *ſodes*, hoc *ſpatium conſperſit ſoror ſpicâ*, *ſiligine* & *ſimilagine*. ac poſuit *ſorbitia*, ut alat *ſorices*, ne ſibi rodant *ſcrinia*.

A. *Soſpitem* te veniſſe gaudio. Quid tibi vis cum *ſparo*? B. è *ſpecula* venio: A. putabam è *ſpecu*. Quorſum nunc tendis? B. ad *ſtivam* & vomerem, quia ſum *ſtipator* aratri.

Roſæ *ſplendent* in *ſpinis ſtellæ* in tenebris.

Etiam in *ſponda*, ceu nuda tabula, *ſtertit* feſſus.

Spongia oritur ex arboris *ſpuma*: *ſpurius* naſcitur ex matre *ſpurca*.

Squamæ & cochlearum teſtæ non deſtinantur ad eſcam.

Stipu-

Stipula non est tanta, nec talis, ut inde fiat *stilus*.
Milites post *stipendium* petunt *stipem*.
Stilla abit in *striam*, *stirps* in arborem.
Restis ad *strangulandum* est *strena*, quæ trepidare facit & *stupere*.
Stridet terebra terebrando & runcina *strias* (*striges*) *stringendo*.
Strumam studio sibi nemo facit.
Sublimia & *subtilia* paucis *persuadentur*; nisi *superbis*.
Sub sudo facilè *sudatur* sura tenus.
In *taberna* nulla est *supellex*, sed varia merx.
Quæ vis *taceri*, non debes auribus alterius *insusurrare*.
Talaris est vestis, quæ *talo* (*talis*) *tenus* dependet: unde facilè *attaminatur* à *temerè* incedentibus, & à *temulentis*. *Tardi* & *abstemii* magis cavent, nè eam *contemerent*.
Sine *temone* plaustrum, & sine *terete* jugo *tela* non tractatur.
Si offa *tepet*, *tadiosè teritur* dentibus.
E tibia fieri potest *tessera*, & fistula, cujus usum invenerunt olim pascentes in *tesquis*.
E tilia parantur asseres; non æquè *tigni* (*tigna*.)
Non *tinea*, sed *teredo* & cossus erodit trabes.
Qui *titulis titillantur*, eorum honor sæpe *titubat*, & vacillat, turpitérque *tinnit* in auribus aliorum.
Quid *tremis* & *obtorpes*, quidvè *torvùm* vides, si res tuæ sunt in *tranquillo*, (nn) & nihil *obtorquetur*.
Otiosus cum de *toris* se infarsit, in *toro torpens* stertit.
Turdus triumphat, si juniperum nactus est; non si *tribu-*

(nn) sc. statu.

tribulum : quippe quem alia *tribus* avium, si ita loqui licet, est (edit.)

Tubera ubique, *tumuli* nullibi existunt, nisi in terra tumente.

Tuba est *tubus*, qui fit sonorus à *turgidis* buccis *tubicinis*.

Quis in *tumultu trutinabitur*, quas quisque è *turma* dederit *turbas*?

Si infantes *vapulant*. *vagiunt*.

Vel tes sunt *veloces*, *vafri* & *vagi* nec semper *evagantur*, ut *velitentur*, sed ut rusticos *vellicent* & abigant *vaccas* : imo omnia aut *vastent*, aut *convasent*; nec ullibi *ubertatem* relinquant.

Valli circumvallant valla : *Valva* portas occludunt.

Verna in *villa vibrat viciam* & avenam *vanno vimineâ* in pabulum pro equis, quin & pro *vitulis*, qui non *vescuntur* ulvâ ex uligine.

Varices nascuntur cursoribus, vel onera portantibus, vel diu stantibus, in *ventre*, cruribus, alibi: qui aliquando resecantur non sine periculo.

Varus (oo) introrsum, *valgus* (pp) extrorsum crura & pedes habet retortos & *divaricantes*.

Vadis beneficium capitale est.

Virus est *vehemens vapor venenosus*.

Vere vernant verbena inter *vepres*, cum sol *vergit* propius ad nos.

Verres & *vervex veru* assantur in epulum vespertinum, non vero vulpes.

Verrucam ne exseca, ne *vertatur* in ulcus, unde fœda gignitur *vibex*.

In

(oo) Schiefbeinig. (pp) Krumbeinig.

In *vesicam* , tanquam in *utrem* aut *urnam* colligitur *urina*, quæ *uterum urget vi*, quam nemo *vincere* poteſt.

Veſpa non pungit *urſum*, ob villos.

Omnium rerum ſunt *vices*. (*viciſſitudines*) Quæ *uxor* hodie gaudet maritô, cras eſt *vidua* : qui modo *viget* & *viret* ; mox *vigorem* amittit: qui hodie *vicit* & *vinxit* hoſtes, cras experitur *vindictam* victus & *vinctus*. Nec quisquam, licet *viginti* oculis præditus eſſet, tam accurate *invigilat* ſuis rebus, ut eodem ſemper ſtatu permaneant. Ita fortuna eſt *vitrea*, quæ favet tanquam *vitricus* & noverca.

Viſcus (um) *Virgula* (calamo, feſtucæ) illitus (um) aviculas capit.

E *vitello* naſcuntur *volucrum viſcera*.

Sine *vitta* mulieres *vituperantur*, ut olim ſine *umbone* milites.

Ulciſcentur quemque mores ſui.

Umbra meridiana media æſtate non eſt *ultra ulnam* projecta.

Ulula cum lupis, cum quibus eſſe cupis.

Ob *unionem* concha veſtigatur, ob *uvam vitis* plantatur.

Parva decent parvos. Tibi, Numen, gloria ſoli!

TANTUM.

